



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Ira Libri Tres**

**De Meyer, Liévin**

**Antverpiae, 1694**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68620)

# PRÆFATIO AD LECTOREM.



Occe opusculo, amice Lector, de irâ mihi sermo est, humani generis hoste infestissimo. Quod quidem argumentum selegi eò lubentius, tum quod à nullo Poëtarum, quod sciam, tractatum sit hactenus, tum maximè quod præter concentum vocum ac syllabarum, quo auribus consulitur, utilitas quoque ad animos legentium derivetur. Quemadmodum enim nullum est animi vitium, quod Irâ vehementius sit, atque nocentius, nullum quo rationalis natura deformetur magis; itâ quidquam utilius esse vix potest, quam malo tam præcipiti medelam afferre, & hoc animorum extinguere veluti commune incendium. Paucula tantum monere visum fuit. Ac primum quidem propositæ materiæ gravitatem eam non esse, ut Heroici metri majestatem quasi suo quodam jure postulet. Quippe inter causas iræ atque irritamenta, quæ toto libro primo commemorantur, tam levia, tam tenuia, tam minuta occurrunt; ut quemadmodum est mirum animos nostros his commoveri ad iracundiam, ita prorsus videri possit inter formicas tonare, si quis ista sublimiore stylo expresserit. Accedit, quod iræ remedia, quæ potiores hujus opusculi partes tenent, suaviter animis instillanda sint, ac proindè citharam potius requirant, quam tubam. Denique sic res habent hodie, ut Elegiacum metrum citra Parnassi injuriam, non ad luctus solum, atque amores, sed ad argumenta quoque severiora accommodetur. Quid enim? ut ne Propertii pugnam Actiacam, & alia ejusmodi plura commemorem; quid, inquam, de ingeniosissimo Poëtarum censebimus, qui Fastorum libros, quibus continentur tam varia, tam à luctibus

bus aliena, tamen ad citharæ chordas exegit? Quid si etiam  
Horatianum monitum secutus sim, ut de ferendo onere hume-  
ros prius consulerem, quam ad ingentem machinam infirmas  
vires incautus afferrem? Etenim non eò oblivionis veni, ut te-  
nuitatis meæ memor non sim. Isti Homerum, atque Virgilium  
feliciter spirent, quibus altius Phæbus intonuit. Mecum præ-  
clarè gestum erit, si has tenuiores Camænas eruditus lector  
non omnino fastidierit. Alterum erat, quod lectorem moni-  
tum volebam, à Poëta Christiano alienum non esse, ut Dia-  
nam, aut Neptunum, aut Cererem, aut Jovem appellet, ex-  
clametque nonnumquam Dii faciant! Non enim his loquendi  
formulis ad scrupulum Poëtæ, ut Theologi solent, utuntur:  
imò ne Gentiles quidem semper; sed Bacchum pro vino, Neptu-  
num pro mari, Cererem pro frumento usurpant. Quippe aliud  
est Theologum, aliud Poëtam agere. Enimverò ridiculus is sit,  
& in Helicone peregrinus, si quis inter fabulas Religione mo-  
vebitur. Verum isthæc non moror, multus & difficilis in re  
notâ & pervulgatâ ne sim. Unum opto, ac voveo, ut ira-  
cundi ad clementiam, animique moderationem, dissidentes ad  
pacem & concordiam revocentur. Quem fructum si referant  
Musæ, hic illis pro lauro erit.

